# ELBINGAM MATHESEOS AMICAM EVINCIT AD ENCAENIA GYMNASII

*D. XXVI. NOV. MDCCLXVII*



CELEBRANDA

ILLVSTREM
PERMAGNIFICOS GENEROSOS AMPLISSIMOS CONSVLTISSIMOSQVE
REIPVBLICAE
ELBINGENSIS
PROCERES
VT ET
CAETEROS CVIVSCVNQVE ORDINIS
AC DIGNITATIS
MAECENATES EVERGETAS
ET
STVDIORVM AMATORES
SVMMO OBSERVANTIAE CVLTV AETATEM
VENERANDOS
REVERENTISSIME AC OFFICIOSISSIME
INVITATVRVS

*Ioannes Langius*
Gymn. Rector Prof. Theologiae Ord. & Bibl.
nec non
Regiae Artium ac Scientiarum Societatis quae Francofurti ad Viadrum floret Sodalis.

---

ELBINGAE STANNO NOHRMANNIANO.

Quamvis liberales cedroque dignissimae artes ac scientiae apud gentes nominis & virtutum fama celebres ubivis terrarum habitent, scholisque exstructis sapientia inter Reges eorumque necessarios & amicos aeque ac cives & regionum incolas suam habeant sedem: historiarum tamen annales docent, non omnia regna, non nationes omnes uno eodemque semper delectatas esse, nec delectari adhuc litterarum studio, sed aliis aliud disciplinarum genus magis arridere. a) Hinc mirum non est, eam scientiae mathematicae faciem, ex quo artes ingenuae in terris prussicis vitam & maecenates acceperunt, qua nunc fulget, nec exstitisse nec exstare potuisse. Sunt hinc, qui primitias scientiae mathematicae in Prussia a multis retro saeculis jamjam repetendas esse censent. Sunt e contrario alii, qui affirmant, certiora, majora ac splendidiora, quae de genuinae Matheseos incremento in Prussia loquuntur, documenta, alma Pregelana a Serenissimo Duce ALBERTO fundata, in lucem demum prolata esse. b)

Omissis reliquis, culturam studii mathematici apud Elbingenses saltem in praesentia exponendi animus est. Non vero id laborabo, ut multa testimoniorum mole congesta probem, a quo potissimum illud originem & natales in hac civitate trahat; nec illorum curabo judicium, qui reliquas scientias urbi patriae magis profuisse clamitant: sed hoc saltem defendam, Matheseos incunabula cum caeteris artibus ut in totam Prussiam, ita

a) *Bartholinus* de libris legendis. Diss. II. p. 56.

b) *Pisanski* hist. litterar. Prussiae primis lineis adumbrata. P. I. §. 12. p. 19. P. II. §. 28. p. 45. P. III. §. 44. p. 76. & *Woitii* diss. de incrementis studiorum per Polonos & Prussos. c. IV. §. 9. p. 80.

ita & Elbingam una appulisse. Vt enim cum Ordinis Mariani Sodalibus innumeri postea, partim Crucigerorum virtute famaque acciti, partim fidei christianae inter Prussos barbaros propagandae, partim stipendiorum sub victricibus Equitum armis merendorum causa provocati, ex omnibus fere Europae gentibus in hanc venerunt regionem: nullum est dubium, quin tot inter fortitudinis & eruditionis gloria inclutos, unus alterve ut reliquarum scientiarum ita & Matheseos, pro ea, quae disciplinae hujus tum temporis fuit conditio, exstiterit cultor. Ea quippe scientiarum omnium est ratio, ut arctissimo inter se cohaereant vinculo, & in tanto eruditorum proventu a caeterarum artium consortio Mathesis se plane divelli non patiatur.

Constat vero inter omnes, scientiam mathematicam in puriorem juxta & applicatam dividi, quarum quaelibet suas complectitur partes, disciplinas suas. Harum si non omnium, praestantissimarum tamen Elbinga quoque vidit cultores.

Quoties per sylvas & campos, per montes & valles, per arva prataque civitati proxima, otio Musis dato erramns, accuratam totius regionis mensurationem, agrorum distributionem ex aequo factam, & legitimam terminorum constitutionem utique mirantes, nosmet interrogare solemus: cui quaeso ἀκρίβεια haec mathematica debetur? cui, nisi illis, qui Geometriae scientia instructi, terras omniaque alia sub mensuram cadentia dimetiuntur? Hinc Elbinga suos semper Geometras habuit, ornavit, sustentavit. Imo antiquis jam temporibus Geometriam civibus nostris in magno fuisse pretio, vel ipsum januae acroaterii majoris Gymnasii patrii quondam adscriptum testatur lemma, c) quod ex Platonis schola petitum hujus fuit tenoris: ὀυδεὶς ἀγεωμέτρητος ἐισίτω, i. e. nemo non Geometra introeat,

2 quasi

c) *Io. Mylii* orat. in dedicatione novi aedificii scholastici 25. Nov. 1599. habita.

quasi dicas: nemo disciplinae impatiens proportionem in scholis geometricam turbet, sed ad aequabilitatem potius & harmoniam doctrinae ac vitae duci se patiatur.

Sed ad alia Matheseos apud Elbingenses vocor indicia. Non ultima Plinii junioris laus est, quod apud Nicomedenses rivorum a fonte ductum, quo dulcis in civitatem perduci posset aqua, summa diligentia multisque impensis erigi jusserit, statuens, utilitatem & puchritudinem hujus operis saeculo Trajani Imperatoris omnino fore dignissimam. d) Pari ratione majores piae memoriae, urbe Elbingensi olim crescente, & propter magnitudinem penuria aquae viventis interdum laborante, omnem curam, omnem sollicitudinem in id intenderunt, ut tota in civitate sufficiens ipsius esset copia. Subterraneis hinc meatibus tubulorum cum ligneorum, tum plumbeorum beneficio ex purissimis alveis tantum aquarum proventum per montes, per valles in civitatem perducendum curarunt, ut non singulae modo plateae, sed quaelibet fere domus suos haberent fontes. Quod opus maximae utilitatis ac necessitatis quis crederet absque aquilege & librationibus perito, ut & hydraulicae artis cultore institutum, & partim saliendo partim derivando, ad aquarum abundantiam promovendam, mira sagacitate perfectum esse?

Ad artis porro architectonicae progrediendum est scientiae, quae civitati patriae pulcherrimam praebet faciem. Provoco eam ob rem ad rerum polonicarum & prussicarum scriptores, e) qui Elbingam multis saepe nominibus praedicantes, eam aliis visu dignam commendant. Quibus Leutingerum, celebrem

d) in *Plinii* ep. 46. L. X.

e) Quos collegit *Mitzlerus* T. I. Script. Hist. Pol. Ex quibus huc spectant *Sarnicius* in descr. V. & N. Pol. p. 249. *Cromerus* in Pol. L. I. de situ & gente Pol. p. 131. *Staravolscius* in Pol. descr. p. 458. *Striykowski* in Sarm. Eur. p. 103. *Crassinius.* in Pol. L. II. c. IV. p. 423.

brem illum Hiſtoriographum, addere juvat, qui brevibus omnia complectens: Elbinga, inquit, eſt eleganti aedificiorum ſtructura, altis turribus & in ſublime excitatis muris pulcherrima. f) Cui vero hanc civitatis patriae culturam, niſi arti architectonicae & civili & militari debemus?

Ac ne videar taedium magis quam delectationem concitaſſe gratam, dum in rebus ſatis cognitis diutius commorer, nonnullorum potius, quos Elbinga artis mathematicae vidit ſectatores, mentionem injiciam. Glorietur Regiomontum de Ottero, g) Thorunium de Copernico, h) Gedanum de Hevelio ſuo, i) quos univerſus adhuc miratur orbis eruditus: habet Elbinga etiam, ſi non tanta in coelo mathematico ſidera, haud infelices tamen Mathematum cultores, quorum nomina nec antiquitatem conſervaſſe, nec me cum laude recenſuiſſe poenitebit unquam.

Ex his vel primas ſibi vindicat *Casparus Langerfeld*, cui in civitate Regiomontana quondam plantato & Francofurti ad Viadrum rigato, dulciſſima patria noſtra honorum & dignitatum dedit incrementa. Conrectoris enim in Gymnaſio Elbingenſi ab anno 1570 munere functus, juventutem ſcholaſticam doctrina, orbem vero litterarium ſcriptis locupletavit mathematicis lectu digniſſimis. k) Cui *Gregorium* addo *Menningerum*, Elbingenſem & Lyceï patrii ab anno



f) in operibus *Leutingeri* cura *Küſteri* editis. L. XXVIII. §. 21. p. 935.

g) *Bucks* Lebensbeſchreibung der verſtorb. preußiſchen Mathemanticer. P. II. p. 201.

h) *Hartknochs* A. u. N Pr. p. 371. *Freheri* theatr. erud. p. 1447. *Buddei* allgemein. hiſt. Lexicon P. I. p. 734. *Adami* vitae erud. p. 126.

i) Erleutertes Preußen. T. II. St. XVI. p. 235. *Buddei* allgem. hiſt. Lex. P. III. p. 91.

k) *Buck* l. c. p. 39. 40. *Tolckemits* Elbing. Lehrer Gedächtniß. p. 303.

1632 ad 1641 usque Conrectorem praeclare doctum. l) Quod enim & ille egregia Matheseos cognitione instructus fuerit, vel ex instrumentis patet geometricis, quae ex ipsius leipsanis Amplissimus Civitatis Magistratus, cura & sollicitudine Bibliothecae publicae augmentandae excitatus, ab heredibus beati Menningeri non exiguis sumptibus comparasse legitur. m) Nec *M. Henrici Nicolai*, Gedanensis, memoriam fas est oblivionis peplo involvere, qui Athenaeo Elbingensi per novem annos utilissimam docendo praestitit operam. n) Hic enim eruditionis fama inclutus vir quanquam Theologiae ac Philosophiae studio totum se tradidisse videtur: scripta tamen ipsius mathematica, de quotidiana telluris revolutione 1653, & de astrologiae veritate 1657 publici juris facta, testantur, eum insimul felicem Matheseos sectatorem fuisse. o) Sed suum quoque ob scientiae hujus apud Elbingenses culturam & professionem meretur elogium *Fridericus Hoffmann*, Mega-Glogavia Silesius, qui 1667 Conrectoris dignitatem cum Rectoris in Gymnasio patrio provincia felici commutavit sidere. Sicuti enim hic vir teste Praetorio p) insigni studiorum ubertate florens & supra fidem meritissimus fuit: ita ipsius quoque, quae adhuc inter manu scripta Bibliothecae publicae asservantur, arithmetica, geometrica & architectonicae artis collegia hic quondam habita, satis superque docent, eum ut reliquis scientiis, mathematicis insimul disciplinis mirum quantum inclaruisse. q)

Quam

l) *Seyleri* Elbinga litterata, p. 50. *Tolckemit* l. c. p. 307.

m) in praecone liberalitatis MSct. p. 1. *Seylerus* de origine & fatis Bibl. Elb.

n) *Hartknochii* Preuß. Kirchenhistorie. p. 805. *Tolckemit* l. c. p. 330.

o) *Praetorii* Athenae Gedan. p. 82. 83.

p) in Athen. Ged. p. 234.

q) *Tolckemit* Elb. Lehrer Ged. p. 269.

Quam vero eruditionis famam, quem honorem *M. Iacobus Boerger*, Regiomontanus, ad Gymnaſii Elbingenſis Rectoratum 1675 evectus, in ſtudio mathematico egregiis conſequutus ſit ſcriptis, fuſius exponit celeberrimus Buckius. r) Injurius porro manibus *M. Ioannis Vrini*, Salfeldenſis Pruſſi, viderer, ſi illum hac occaſione ſicco praeterirem pede. Ex quo enim 1686 ad Profeſſoris & ſequenti anno ad Conrectoris in Gymnaſio patrio promotus eſſet ſpartam, ſuam in ſcientiis mathematicis variis ſcriptis adeo probavit fidem, ut etiam advenae, Elbingae commorantes, tantae eruditionis virum penitus inſpicere, ejusque inſtrumenta mathematica videre, a dignitate ſua non remotum judicarent. ſ) His annumerandi veniunt *Chriſtianus Kretſchmer* & *Joannes Hoffmann*, Geometrae apud Elbingenſes jurati. Quod enim & illi excellens Matheſeos ſtudium in deliciis habuerint, variae, quae ad manus ſunt, teſtantur lucubrationes. Imago enim Gymnaſii, ex charta craſſa affabre a Kretſchmero conſtructa, una cum ejusdem ichnographia, omni arte conſignata, hodienum adhuc in Bibliotheca publica aſſervatur; de Hoffmanno autem praeter varias terrarum Elbingenſium delineationes, arte geometrica confectas, collegia quoque loquuntur mathematica, quae in uſum ſtudioſae juventutis eum ſaepe habuiſſe conſtat. Quantam poſtea nominis famam & ſcientia & diligentia, in ſtudio mathematico adhibita, ſibi acquiſiverit *M. Iacobus Woitius*, Profeſſor Matheſeos in Gymnaſio Elbingenſi per triginta ſex & quod excurrit annos celeberrimus, ad unum fere norunt omnes. Quot enim ex Magiſtri hujus ore in ſcholis mathematicis per illud temporis ſpatium pependerunt, qui manes ipſius laudibus coronisque hodienum adhuc proſequuntur? Quot inventis, quot obſervationibus,

r) *Bucks* Lebensbeſchreib. der Pr. Math. p. 93. 94. *Tolckemit* l. c. p. 271.

ſ) *Buck* l. c. p. 108. *Tolckemit* l. c. p. 308.


vationibus, quot ſcriptis aſtronomicis aliisque inclaruit, dignus utique, ut celebres inter Matheſeos doctores haud ultimum occupet locum? t) Adderem quoque quos praeſens aetas in vivis veneratur praeſtantiſſimos ſcientiarum mathematicarum apud Elbingenſes cultores, niſi inſignia eorum in hoc ſtudio merita, eorumque humanitas id prohiberent, ne videar, in *Plurimum Reverendo Seniore & Mathematico*, in *Doctiſſimo Profeſſore & Geometra*, in *Regio Mechanico* illa paucis delibaſſe tantum, quae fuſius laudari merentur.

Elbingam vero non Matheſeos ſaltem amicam fuiſſe, ſed reliquas inſimul artes ac ſcientias in pretio ſemper ac complexu habuiſſe, ipſa Gymnaſii patrii, magnis ſumptibus nec minori cura centum abhinc & ſexaginta octo annis exſtructi, loquuntur encaenia, craſtina luce DEO ſic volente iterum celebranda. Quo vero haec natalis Seminarii Elbingenſium feſtivitas tanto evadat ſplendidior, inclutae civitatis hujus *Proceres*, *Illuſtrem*, *Permagnificos*, *Generoſos*, *Ampliſſimos*, *Conſultiſſimosque DNN. BVRGGRAVIVM REGIVM, PRAESIDEM, PRAECONSVLES, CONSVLES*, *Maecenates* & Athenaei *Nutritores* omni laudis ac venerationis genere aeternum proſequendos; reliquos etiam *Excellentiſſimos*, *Plurimum Reverendos*, *Praenobiles*, *Nobiles*, *Spectabiles*, *Praeſtantiſſimos*, *Humaniſſimosque Muſarum Fautores & Amicos* ea, qua par eſt, humanitate & obſervantia rogamus, ut cras hora IX matutina auditorium maximum honorificentiſſima ſua praeſentia condecorantes, ſtudioſae juventuti aequis animis adeſſe, &, quod caput rei eſt, DEVM, quo Gymnaſium porro conſervare velit, religioſe nobiscum obſecrare haud dedignentur. Publ. Elbingae, d. XXV. Nov. MDCCLXVII.

t) *Strodtmanns* Beyträge zur Hiſtorie der Gelahrtheit. V. Theil. p. 39. &c. *Tolckemit* l. c. p. 341.



# Red=Uebung
vom
# Nutzen und Ergötzen
bey Gelegenheit der 168sten Stiftungs=Feyr des löblichen Elbingischen Gymnasii den 26. Nov. 1767. gehalten.



Horat.

*Aut prodesse volunt aut delectare Poetae.*

Mit diesem poetischen Ausspruch eröfnet
der Vorredner
IOANNES FERDINANDVS IVNGSCHVLTZ
die jährlichen Schulencänia, und bittet die Höchst= und Hochgeehrtesten Anwesende um ein geneigtes Gehör.

Chor.

Carl Alexander Brakenhausen
wirft die Frage auf: Ob Nutzen oder Ergötzen den Vorzug habe?

Theodor Ferdinand Koeppen
ziehet den Nutzen dem Ergötzen vor.

Michael Theodor Conrad Stoltz
behauptet, daß das Ergötzen dem Nutzen vorgehe.

Ioannes Sigismund Moeller
stellet sich an, als wenn es ihm schwer falle, die Sache zu entscheiden.

Ioannes Fridericus Tolckemit
hält dafür, man müsse Nutzen und Ergötzen mit einander verbinden.



SAMVEL TESCHNER
beweiset, wie weit sich die Verbindlichkeit erstreckt, das nützliche mit dem ergötzenden zu vereinigen.

Chor.

Von dem Nützen und Ergötzen auf dem Lande reden nach Art der Kinder

Johann Gottlieb Hoffmann
Carl Israel Lange
Theodor George Land
Johann George Möller
Carl Christoph Baum
Friedrich Philip Baumgart
Johann Gottlieb Thieß
Christian Gottfried Fromm
Johann Geret Philipp
Jacob Friedrich Baginski
Johann Gottlieb Abramowski
George Jacob Kappa.



HANS WILHELM HORN

zeiget den Nutzen und das Ergötzen an, so man sich von der wohlangewendeten Zeit versprechen kan.

Chor.

Was das Stadt-Leben für Nutzen und Ergötzen schaffet, erzehlen

Adam Gottfried Hoppe
Johann Gottfried Hintz
Benjamin Friederich Mioduczewski
Daniel Samuel Rogge
Johann Friederich Konopacki
Christian Friese
Daniel Gottlob Guttcke
Alexander Gottlob Kiedt
Johann George Schupplick
Johann Jacob Hanff
Johann Benjamin Knebel
Johann Jacob Holtz.



THOMAS CHRISTLIEB ACHENWALL
IOANNES ERNESTVS KERBEIN

reden von dem Nutzen, so die ersten Erbauer der Städte vor Augen gehabt.

Chor.

Von dem Nutzen und Ergötzen, so man von der Reise zu Lande hat, sprechen

Johann Daniel Kretschmer
Martin Christian Groß
Zacharias Jansson

Michael Gottlieb Fuchs
Daniel Friederich Conradi
Josephus Xaverius Mioduczewski
Benjamin Silber
Carl Gottfried Thieß
August Traugott Tolckemit.

Chor.

Daß auch die Reise zur See Nutzen und Ergötzen gebe, entdecken
Ferdinand Theodor Brakenhausen
Samuel Traugott Grüttner
Gottfried Scheiberling
Carl Wilhelm Fromm
Johann Christoph Sabrowski.

Chor.

IOANNES HORN
moralisiret über die abwechslende Schicksale der Menschen, zu welchen sich
IOANNES EPHRAIM KELCH
IOANNES IACOBVS MEIENREIS
IOA. FRID. THEOD. von IVNGE
gesellen, die als Passagiers einander ihre Reise erzehlen, zu denen noch
DANIEL MEIENREIS
kommt, der sich Pseudologus nennet, und von seiner Reise nach Utopia Nachricht giebt.

Chor.

Carl Daniel Fuchs
giebt Gelegenheit, von dem Nutzen und Ergötzen, so die Künste mit sich führen Worte zu machen. Dem zu Folge reden

| | |
|---|---|
| Peter Kaverau<br>Nathanael George Laud | von der Ton-Kunst. |
| Gotthelf Israel Schmidt<br>Johann Gottfried Hingelberg | — — Buchdrucker-Kunst. |
| Friederich Haage<br>Gottlieb Ballermann | — — Apothecker-Kunst. |
| Isaac Eggerath<br>Johann Roßkampf | — — Mahler-Kunst. |
| Samuel Gottfried Tolckemit<br>Johann Ludwig Dilla | — — Bildhauer-Kunst. |

## Chor.

CAR. FRIDERICVS KRIES
spricht von den Künsten, die zwar ergötzen, aber wenig Nutzen haben. Worauf
IOANNES GEORGIVS LAND,
der sich für einen Goldmacher ausgiebt, sich in ein Gespräch einläßt mit

IOANNES von KOLDVM, einem Historico,
MICHAEL LEVCHERT, einem Philosophen,
CHRISTOPH BALLERMANN, einem Theologen.

## Chor.

Nachfolgende gedenken an den Nutzen und das Ergötzen, so die edlen Wissenschaften verbreiten.

Daniel Gottfried Kanngiesser
Bernhard Ianßon von Tongerloo
Ephraim Zimmermann
Iacob Kienast
Iohann Nathanael Zobel
Iohann Christian Horn
George Lemcke.



IOSEPHVS LVDOVICVS von IVNGE
handelt vom Nutzen und Ergötzen, so mit den gelehrten Geselschaften verbunden ist.



Der Nachredner
GEORGE DANIEL SCHROETER
stattet den respective Höchst- und Hochgeehrtesten Anwesenden für die hochgeneigte Gegenwart und gütiges Gehör den allerverbindlichsten Dank ab.

